

1529 nus præficitur: ac Francisco Borbonio, cui ad instaurandas, atque augendas copias pecunia minime suppeditabat, duodecim aureorum millia mutuo tributa sunt, ut foederatorum austis viribus, Mediolani rursus oppugnatio tentaretur. Summa copiarum Reipublicæ octo peditum millia, Borbonii totidem, Sfortiæ tria millia erant. Galliæ Rex duorum millium Germanorum militum supplementum, atque octoginta aureorum milia se Borbonio missurum pollicebatur.

Hoc exercitu adoriri Insubrum caput placebat; eo expugnato, ad Genuam oppugnandam proficisci. Triremes viginti, quas diximus, Senatus Regi spondebat in Tyrrhenum mare navigaturas, ut Gallica adjuncta classe, Imperatori in Italiam proficiscenti obsisti posset: qua ex re totius belli eventus pendere haud dubie videbatur. Nam Carolo magnis terrestribus, ac maritimis viribus, ut rumor erat, in Italiam adventienti impares ad sustinendum belli impetum foederatorum vires erant: illius præsentia Italorum Principum animos procul dubio spe illectos, aut timore deterritos, communi omnium salute neglecta, suis rebus consulturos. Quapropter illud præfertim hoc tempore providendum videbatur, ut si fieri posset, Cæsar in Italiam iter vel remorarentur, vel impedirent. Neque ab ea sententia Francisci Regis animus abhorrebat; immo summa invadendæ Hispaniæ cupido incesserat præpotenti exercitu, cui ipse imperator præcesset, ad Pyreneos montes deducto; jamque sex Germanorum millia evocari jussérat, in spem erectus, fore, ut Carolus ne hostibus aditum in Hispanias præberet, consilia expeditionis Italicae prætermitteret. Verum hæc Regis sententia gravioribus difficultatibus involuta videbatur; aversis quippe Gallorum ab Italia viribus, haud exiguis periculis objectari res Italicae cernebantur, quæ hactenus illorum subsidiis innixa steterant. A concepta opinione Regem avocare, ardoremque animo conceptum adversus Hispanos restinguere, tutum minime esse nonnulli rebantur; immo potius stimulos addendos, ut quo generoso quodam mentis impetu ferebatur, in id enixius incumberet: Contra aliis tuitius esse videbatur, si in Italiam, in qua sedes belli erat, omnes conatus, ac spiritus impenderet: debellatis in ea hostibus, cuncta prospere, atque ad vota cessura. Inciderat in id

*Francisci
Regis præp-
atio ad Hi-
spanias in-
vadendas.*

tem-